FAVTORVM

GRATVLATIONES

AD

IOANNEM FABRICIVM,

SERENISS. DVCIS BRVNSVIC. AC LVNEBVRG. A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, ABBATEM REGIAE LVTERAE, SCHOLARVM INSPECTOREM GENERALEM, DOCTOREM AC PROFESSOREM S. THEOLOGIAE IN ACAD. IVLIA EMERITVM, ET SOCIETATI SCIENTIARVM REGIAE PRVSSICAE ADSCRIPTVM,

DE

CELEBRATIONE MVNERIS PROFESSORII SEMISAECVLARIS,

QVAM

DIE V. MARTII HVIVS ANNI

INSTITVERE POTVISSET.

ANNO CHRISTI MDCCXXVIII.

ABBATI. REGIAE. LVTERAE

SVMME. VENERABILI

IOANNI. FABRICIO

ANNVM. AETATIS. OCTOGESIMVM. QVINCTVM

FELICITER. INGRESSO

ET. MVNERVM. ACADEMICORVM. AVSPICIVM. MEMO-

RIA. SEMISAECVLARI. PIISQVE. IVBILIS

CELEBRANTI

GRATVLABATVR

CHRISTIANVS. GOTLIBIVS. SCHVVARZIVS

H. T. RECTOR. ACAD. ALTORFINAE

DISCITE. PRAESTANTES. ANIMAE. QVIBVS. ARTIBVS. INGENS

ET. VITAE. ET. FAMAE. CONFICIATVR. ITER

DISCITE. FABRICII. EXEMPLO. QVI. NESTORIS ANNOS

DOCTRINAEQVE. SVAE. IVBILA. SOSPES. AGIT

FABRICII. NOMEN. QVANTO. MEMORABITVR AEVO

CVIVS. ET. IPSA. AETAS. SAECVLA. IAM NVMERAT.

ABBATI. REGIAE. LVTERAE

SVMME. VENERABILI

IOANNI. FABRICIO

ANNVM. AETATIS. OCTOGESIMVM. QVINCTVM
FELICITER. INGRESSO
ET. MVNERVM. ACADEMICORVM. AVSPICIVM. MEMO-
RIA. SEMISAECVLARI. PHSQVE. IVBILIS
CELEBRANTI

GRATVLABATVR

CHRISTIANVS. GOTLIBIVS. SCHVVARZIVS

H. T. RECTOR. ACAD. ALTORFINAE

DISCITE. PRAESTANTES. ANIMAE. QVIBVS. ARTIBVS. INGENS
ET. VITAE. ET. FAMAE. CONFICIATVR. ITER
DISCITE. FABRICII. EXEMPLO. QVI. NESTORIS ANNOS
DOCTRINAEQVE. SVAE. IVBILA. SOSPES. AGIT
FABRICII. NOMEN. QVANTO. MEMORABITVR AEVO
CVIVS. ET. IPSA. AETAS. SAECVLA. IAM NVMERAT.

VIRO
VENERABILI ATQVE EXCELLENTISSIMO

D. IOANNI FABRICIO,

THEOLOGO ET POLYHISTORI CONSVMMATO,
DIE V. MARTII CIƆIƆCCXXVIII.
IVBILAEVM ACADEMICVM CELEBRANTI,
QVVM
PAVCIS ANTE DIEBVS
QVINTVM SVPRA OCTOGESIMVM AETATIS ANNVM
INGRESSVS ESSET
GRATVLATVR
ET
S. P. D.

FRID. GVIL. BIERLINGIVS.

MAgna eſt felicitas, vt omnium hominum, ita eorum præcipue, quos diuina proſpicientia commodis rei ſacræ & ciuilis deſtinauit, diu viuere, annosque annis, tempora temporibus cumulare: maior, ætatem fortunate, tranquille, integra valetudine, absque ærumnoſis laboribus & moleſtis caſibus, producere: maxima, glorioſe viuere, Europam eruditam nominis fama complere, ſcriptis nomen immortale ſibi comparare, academicam iuuentutem rerum diuinarum atque humanarum ſcientia imbuere. Non deſunt, quæ noſtri ſæculi inſignis prærogatiua eſt, Viri præſtantisſima rerum cognitione abunde inſtructi; ſed quibus ea omnia, quæ ſupra commemoraui, contigerint, oppido pauci reperientur. TV, Theologorum academicorum per Germaniam Senior Neſtorque, ſi liber de felicibus litteratis conſcribendus eſſet, quemadmodum

dum catalogos infelicium habemus, primo forſitan loco inter illos fores nominandus. Senectus TVA, eaque pro iſto annorum cumulo vegeta florensque, ordinarium vitæ humanæ terminum ſupergreſſa eſt: beauit TE Numinis benignitas omnibus illis, quæ vitam reddunt commodam & æquali curſu fluentem: ſi gloriam ſpectemus, FABRICIVM Italia prædicat, Gallia laudat, Belgium non ignorat, Germania veneratur, Academiæ Iulia & Norica exoſculantur. En largiſſimos fructus vitæ ad rationis normam compoſitæ, animi ſedati & inter varias procellas & ſiniſtra iudicia ſemper ſereni, multorum itinerum, experientiæ diuturnæ ipſisque aduerſitatibus corroboratæ. Nulla dies TIBI ſine linea. Siue recitationes academicæ inſtituendæ, ſiue commercium litterarium, per vniuerſam Europam cultiorem ſemet extendens, in ordine ſeruandum, ſiue allocutiones hoſpitum & ſalutantium magno numero excipiendæ, ſiue denique ſcripta cedro digna expolienda preloque committenda: amabant alterna camœnæ FABRICII, quem tantum abeſt, vt fatigarent labores, vt alacriorem potius redderent, excitarentque. Durabit præcipue ad poſteritatem Bibliotheca TVAE Bibliothecæ. Photius, magnum ferreo litterarum æuo lumen, ſimilem ſuſcepit laborem: TV, aureo litterarum ſæculo illuſtris & magnus, ſuperaſti Photium, & quæ per temporum ſpiramenta legeras, notaueras, in vſum verteras, cum orbe litterato absque ambitu, absque inuidia communicaſti. Quis igitur non bona verba dicat, & proſpera quæuis ominetur craſtina luce iubilæum munerum academicorum celebranti FABRICIO?

Plaude tuo, qui nunc academica iubila vidit,
Inclita plaude tuo Iulia FABRICIO.
Plaude tuo, hoc poscit meritorum gloria, poscunt
Debita, plaude tuo, Norica, FABRICIO.
Pierides plaudunt, plaudit Germania, doctus
Orbis, & Eusebie, iubila læta canunt.
Nil addam : quid enim ? TE, VIR venerabilis, ævum
Suspicit hoc præsens, posteritasque colet.

Ita flore & perenna, VIR Summe, & post sera tandem fata cælo sublatus Filium relinque, paternæ famæ, virtutis, felicitatis, ex asse heredem. Scrib. Rintelii, die IV. Martii cIↃIↃCCXXVIII.

A & Ω.

QVæ raro aut nunquam Germanis contigit oris
Sors, tamen hoc ævo commemoranda venit.
Musarum Princeps, docto celebratus ab orbe
Doctor, divina Præsul in arte sacer,
Vir pius, ac nunquam senio confectus inerti,
Quemque labor nullus cogit & esse senem;
Prudens Nestor, FABRICIVS (venerabile Nomen)
Canus, doctrinæ Iubila fausta canit.
Scilicet, unde venit tam læta quieta senectus?
Non nisi de cœli munere missa probis.* *Ps. XCI. 16.
Si pia vota valent, si quid bene provida cantat
Nestore de nostro *sola perennis avis*,
Auguror, absolvet sæcli orbem, FABRICIVSque
Sic Decus & *Phœnix* mox redivivus erit.

Ολοκαρδίως allusit
IO. DAVID KOELERVS P.P.

LÆta TVI ſenii feſtivo tempore plauſu
Excipimus, FABRICI, ſæcli melioris imago!
Luſtra decem ſeptemque ſimul Tua computat ætas,
Rara viris ætas, qui tractant Palladis artes,
Quorum oculos libri noctesque diesque fatigant,
Seu veteres relegant auctores, ſive recentes;
Qui multo ſtudio diſperſum quærere verum
Per varias ſectas, terrasque & ſæcula tentant.
Quique labore novo magnos multosque labores
Mentis, & ore docent ſuavi, calamoque diſerto.
Non exempla tamen deſunt, VENERABILIS ABBAS,
Namque Tui ſimiles Tua Gens clariſſima monſtrat.
Aſt, inter doctos, meritis quis clarior extat,
Quisque annis gravior? Quem ſic, ætate ſenili,
Cernimus,& corpus,mentemque,oculosque,valentem?
Tu, VENERANDE SENEX, quem iam ſtudioſa iuventus
Dimidio coluit ſæclo divina docentem,
TV nondum retices, nondum Tua penna quieſcit.
Sunt oculi vegeti, & propria virtute ſagaces;
Non mentem obſcurat magnarum oblivio rerum;
Non hebetat torpor; nec vires morbus adurit;
Ingeniique Tui cum tempore creſcit acumen.
Littera, quæ manibus doctis & fronte ſerena
Scripta meas ſtimulat crebro, recreatque Camœnas,
Singula teſtatur nitida forma atque tenore,
Qui ſpirare Virum doctum ſolet atque benignum.
Quæro per hiſtorias canos huiusce vigoris;
Vix unum quondam novit vir ſedulus ille,
Macrobios doctos qui, Phœbo teſte, recenſet. *

Xeno-

* *Lucianus* in Macrobiis: Ariſtobulus Caſſandræus ultra XC. annos vixiſſe

Xenophanem navus ſolersque Laërtius addit. **
Deſino ſcrutari, pluresque bono omine credo
Non iri inventum; nec erit vivacior alter.
Sæclum haud vitæ tantum, ſed muneris annis
Explebis, ſemper ſervato robore priſco,
Exemploque carens omni; quod ſpero precorque
Commendans TIBI me, natum, ſerosque nepotes.

xiſſe fertur, qui hiſtoriam ſuam quartum & octogeſimum annum agens orſus eſt conſcribere: id quod ipſe in operis ſui principio teſtatur.

** *Laërtius* lib. IX. Segm. 19. carmen Xenophanis excerpit, quod compoſuit anno ætatis XCII.

SVMME VENERABILI DOMINO

ABBATI FABRICIO

IVBILAEVM MVNERVM ACADEMICORVM CELEBRANTI

incomtis hiſce verſiculis gratulatur
IO. WILH. FEVERLINVS
Philoſ. Prof. Altdorfinus.

